



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 14. Reginæ Matris consilium de exterminandis omnibus Calvinistis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

„obsequia jam aliquo abhinc tempore  
 „minus accepta esse, hinc petimus, ut  
 „Aula excedere nobis liceat „ His Rex  
 commotiorem animum simulans respon-  
 dit: „quandocunque vobis placuerit,  
 „abire poteritis: si vero insultus in Ar-  
 „chitalassum attentati reos vos depre-  
 „hendero, facile vos reperire poterō.  
 „Accepto hoc responso ipsi valido comi-  
 tatu stipati, equisque vecti discedere  
 parabant, quamvis illi ex Parisina urbe  
 nequidem excefferint.

## §. XIV.

*Reginæ Matris consilium de exterminandis omnibus Calvinistis.*

Post prandium Regina Mater Regem, *Hist. de Mat-*  
 Andegavensem, & Nivernium Du- *thieu l. 6.*  
 cem, Tavannium, & Rhetium Comi- *Mem. de Ta-*  
 tem ad hortum suum, qui vulgo *vannes.*  
*Tegularius* dicitur, secum educit, atque hæc  
 exponit: „capti jam tenentur illi, qui-  
 „bus jam diu insidiæ fuerunt structæ,  
 „& quidem Architalassus utroque bra-  
 „chio saucius lecto affigitur, neque mo-  
 „vere se potest: Navarrus autem, &  
 „Condæus Princeps hospitio in arce Lu-  
 „para excepti sunt, ac de noctu portæ il-  
 „lorum clauduntur, ac ibi excubiæ lo-  
 „cantur, ne inde fugere illinc compre-  
 „hensi possint: porro ita Ducibus captis  
 „non est metuendum, ne qui deinceps ex  
*Hist. Eccles. Tom. XLIX.* B „reli-

Sæcul. XVI.

AC 1572.

„reliquis tumultuentur: præclara igitur rei gerendæ facultas datur, nam unius horulæ spatio Calvinistæ omnes e medio tolli, stirpsque, ac nomen hostium, horumque impiorum hominum deleri poterit: nisi autem Rex hac opportunitate temporis utatur, non est dubitandum, quin tunc, si Archita- lassus, sicuti chirurgissem eidem faciunt, valetudinem recuperet, tota Gallia quarto civili bello propediem exardescat, quod prioribus longe crudelius erit: nunc ergo populo alias jam satis commoto fræna laxanda, nec voluntati Dei, qui moderata consilia exitum non habere voluit, reluctandum est: porro post rem confectam non deerunt rationes, quibus factum excusetur omni culpa in Guisios, quam illi invidiam libenter sustinebunt, rejecta.

Placuit omnibus Reginæ Matris consilium, simulque illud exequi decretum; Navarræ tamen Regem periculo esse subducendum communis omnium erat opinio propter regiam dignitatem, & affinitatem nuper contractam: de Condæo autem Principe major erat contentio, nihilominus hujus Principis dignitas, ac juvenilis ætas, necnon Ludovici Gonzagæ Nivernii Ducis auctoritas prævaluere illorum sententiæ, qui hujus quoque Principis exitium machi-

na-

nabantur; Gonzaga enim Nivernius, <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 cum eundem a cæde eximi percuperet, <sup>A.C 1572.</sup>  
 affirmabat, quod is in Regis fide, &  
 obsequio constantissimus sit futurus, at-  
 que ipse hujus promissi sponfor exi-  
 stat, imo spes affulgeat, juvenem hunc  
 Principem vel promissis, vel minis ad-  
 actum hæresin abjuraturum. Igitur ab  
 omnibus decretum, ut eidem parcere-  
 tur.

## §. XV.

*Protestantes Proceres ad Colinium con-  
 vocandi consilium.*

Arrepto hoc consilio, solutoque Sena- <sup>Tuan. p.</sup>  
 tu decretum est, ut nocte sequenti, <sup>84</sup>  
 priusquam dies illucesceret, cædis pro- <sup>Hist. Mo-</sup>  
 positæ executio fieret, totiusque rei cu- <sup>narch. p. 576.</sup>  
 ra Guisio Duci, qui Architalasso summe  
 infensus erat, committeretur: igitur  
 cælo advesperante Rex mille ducentos  
 sclopetarios partim ad fluminis oram,  
 partim in variis plateis, nonnullos au-  
 tem ad Colinii ædes disponi curabat,  
 ubi etiam circumcirca potissima Proce-  
 rum Protestantium, ac Nobilium pars  
 sua habebat diversoria: insuper vico-  
 rum Præfectis, quos Decuriones vo-  
 cant, injunctum, ut stationibus prom-  
 pte assignatis cunctorum, qui Calvinii  
 sectæ addicti erant, nomina describe-  
 rent, eorumque tot, quot possent, in

B a

vici-